Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Theologica polemica, dogmatica, speculativa et moralis- Cod. Ettenheim-Münster 255

Bulffer, Gervas

[S.l.], 1788

Responsio [...]

urn:nbn:de:bsz:31-128404

Visual Library

Responsio Papæ.

Venerabili fratri Mathiæ Francisco Brünensi Episcopo

Pius Papa VI.

N. 596

Venerabilis frater, Salutem et apostolicam benedictionem.

Ex litteris, quas VI. nonas martias ac iterum III nonas aprilis ad nos dedisti, gravem mæroris causam accepimus. dolenda quidem res est, quæ nonnullos Regularium ordines huc illuc promovet, ac viros religiosos sacrasque virgines deijcit è monasteriis: sed nimis te properasse arbitramur ea declaratione, quæ Monachos Carthusianos in tua diœcesi statim à propriis legibus statutisque liberos solutosque renuntiat, ut conditionem statumque presbyterorum secularium illico inire valeant. generalis namque hæc declaratio, quæ inscia prorsus sede apostolica tibi venerabilis frater opportuna malè visa est, nobis "cum" in tempestiva, tum periculi plena videtur. curandum imprimis est, ut omnes in vocatione permaneant, ideoque in alia vel proprij vel alterius etiam mitioris instituti Monasteria se se recipiant, ubi vota solemnia, quibus vitam Deo consecrârunt, ritè rectèque persolvant. nulla

rerum humanarum ratio, quam te Monacho-
rum causa pro oculis habuisse scribis, sed una
conscientiæ ac salutis æternæ cura habenda
est. Hæc sanè nostris verbis dicito iis, ad
quos pertinet, eosque confirma, si à proposito
declinare cognosces. At si fortè cuidam
accidat, quod receptorem sibi nequeat invenire,
in hoc tantum infortunio sinimus, posse eum
tamdiu in statu presbyterij secularis perma-
nere, quamdiu ita vivere sola necessitate
cogatur. Sed quisquis versari debet in seculo,
memor vocationis suæ atque tenax disciplinæ
et vitæ regularis, cui se pridem adscripserat,
vota solemnia, quæ semper firma, semperque
immota permanebunt, diligenter custodiat, et
servet. Sacrilegium profectò esset, si quid à
purissima castitatis obligatione detraheretur.
Studio etiam paupertatis, quantum pro nova
vivendi ratione fas erit, omnes addicti sint,
ut fallaci terrestrium divitiarum cupiditate
immunem lætumque animum præseferant.
Obedientiam quoque præstent Episcopo, et sub
veste aliquod signum gerant regularis pro-
fessionis, ut vi deturbati et rejecti non sponte

ē claustris exiisse videantur. Habes itaq; sententiam nostram, ad quam consilia debes animumq; componere. Hinc facilè intelliges, nos minimè iis assentire, qui dispensationem à votis postulant, ut carnales nuptias contrahant, vel condere valeant testamenta. Cave igitur, ne dispensatio huiusmodi, quâ decor et pulchritudo Domûs Dei polluaretur, audiri contingat in Ecclesia; neq; tu potes jure ordinario concedere, neq; nos tibi eius tribuendæ jus, potestatemq; delegamus. Itaq; memor esto Sacerdotij tui, et macte animo, ut assiduis ad Deum precibus validam nobis opem impetrare coneris. Optima hac spe tibi Venerabilis frater atq; ovibus fidei tuæ creditis apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Vindobonæ pridie idus aprilis 1782. Pontificatus nostri anno octavo.

Sequuntur aliæ quæstiones de dispensatione in Impedimentis Matrimonij, et votorum.

Anno Domini 1782. die verò 20. aprilis
postea quam præsente sua Eminentia Primate
regni universi, Domini Diœcesani Archi- et
Episcopi urbi vicino constituti Archi-Episcopus
videlicet Colocensis, Episcopi Jaurinensis, Agri-
ensis, Zagabriensis, Bosnensis, Scapusinensis,
Nitriensis, Crisiensis, et Rosnaviensis ad vale-
dicendum Sanctissimo Domino nostro Pio VI.
Pontifici maximo hinc discessum in gremio com-
paruissemus, sequentes sua Sanctitati, partim
nomine omnium Episcoporum, partim verò par-
ticularitè eorum, qui in casu aliquo versantur,
propositis sunt quæstiones, et petito desuper Re-
solutiones, ac Supremi Ecclesiæ Pastoris instructio
et quidem

I
N. 597.

Sicuti ab Episcopis exigatur, ut jure ordinario
citra ullum ad summum Pontificem recursum
in omnibus impedimentis Matrimonij sive dum-
taxat Ecclesiastico prohibitis, dispensent, quia
verò id fieri non posse confuissemus, ideo quid
nos agere oporteat à sua Sanctitate instrui, et
necessarias et sua Sanctitati benevisas ad preca-
vendam omnem Sacerdotij et Imperij collisionem
et tollendas conscientiarum nostrarum angustias
nobis facultates benignè concedi supplicitè oravimus.

// Respondit sua Sanctitas

"Recte nos censere, quod Episcopi jure ordinario
"in huiusmodi impedimentis dispensare nequeant,
"ac ob id vivæ vocis oraculo nobis potestatem
"fecit, ut in tertio et quarto affinitatis et con-
"sanguinitatis gradu, dummodo secundum nulla-
"tenus attingat, non solum pro pauperibus, sed
"nobilibus etiam ac ditioribus dispensare vale-
"amus, facultate hac primum quidem ad quin-
"quennium duntaxat restricta.

Sed quia suæ Sanctitati propositum fuisset, quod II
si evoluto quinquennio pro renovandis præfatis
facultatibus ad suam Sanctitatem recurrere
oporteat, novis nos involvendos prævidemus diffi-
cultatibus, eo quod eiusmodi facultas pro placito
regio obtinendo exhiberi debebunt, quo forsan
non obtento, gravioribus adhuc conscientiæ cru-
ciabimur stimulis.

Respondit sua Sanctitas

"ut tam præfatæ quam attingendæ facultates
"ad revocationem usque durent.

Quia verò circa formulam dispensationis ea III
oborta fuisset quæstio, an quemadmodum in hacte-
nus ad quinquennium concessis facultatibus de-
mandatum fuit, ut delegationis mentio fiat, id ipsum
in dandis dispensationibus fieri debeat.

Respondit sua Sanctitas

" Delegationis mentionem quidem faciendam esse:
" si nihilominus difficultas quæpiam eatenus obmo-
" veretur, exmitti etiam possit.

IV = Siquidem in impedimentis occultis Matrimonij re-
cursus ad S. Pœnitentiariam inhibitus esset, petitum
fuit à sua Sanctitate, ut necessarias eatenus ad
eximendas à periculo damnationis animos benig-
nissimè concedere dignetur facultates.

" Circa dispensationes quoad forum internum
" elargiendas, etsi sua Sanctitas declaraverit, re-
" cursum ad S. Pœnitentiariam haud difficultandum
" verbis = non impediet = hanc nihilominus facul-
" tatem in casibus duntaxat iis, in quibus S. Pœniten-
" tiaria dispensare consuevit, judicio et Potestati
" nostræ comisit, neqꝫ obligavit, ut necessario re-
" curramus ad S. Pœnitentiariam.

N. 598. V = Quoniam occasione ea, qua complura tam Re-
ligiosorum quam Monialium Monasteria sub-
lata fuissent, Religiosi et Moniales pro dispensatione
à votis solemnibus ad Episcopos invitati fuissent, nos
verò humillimè existimaremus, id non esse Potestatis
nostræ, ideo humillimè quid in hac parte nobis agen-
dum sit, instrui petiimus.

Responit sua Sanctitas

" Nos rectè censere, neqꝫ se in votis solemnibus

„ directè dispensare posse, ac proinde nos invitavit
„ ad Breve Pontificium Episcopo Brunensi exaratum,
„ in quo totum, quod materiam hanc concernit, ex-
„ haustum est.

Circa Religiosos Laicos quæsitum fuit: an ejus admitti possit, ut vestibus secularibus induantur. — VI

Respondit Sua Sanctitas

„ Servatis votis solemnibus ex gestato aliquo subtus
„ Religioso professionis signo, eosdem vestibus secul-
„ aribus ad avertendam offensionem posse indui.

Quæsitum fuit, an in Sejunctis per aliquos Religiosos aut Moniales vi instituti sui observari solitis dispensare possit. — VII

Respondit Sua Sanctitas

„ pro exigentia circumstantiarum posse.

Quæsitum fuit ex parte quorumdam Dominorum diœcesanorum, qui in hoc particulari casu versantur, an cum Monialibus, et ne pars religiosis, si qui tales essent, qui post exactum Novitiatum, votum simplex servandæ perpetuæ castitatis ante elicitam professionem et vota solemnia emiserunt, dispensare possit? — VIII

Sua Sanctitas in tali casu facultatem dispensandi benignissimè impertiri dignata est.

Quoniam Sua Majestas sacratissima omnem Regularium cum suis generalibus nexum sublatum esse velit, quæsitum fuit, quid in hoc negotio Episcopis agendum sit. — IX N. 599

Respondit sua Sanctitas

"ut Provinciales agere permittamus, nosque eatenus
"passivè duntaxat habeamus.

X // Ex parte quorumdam Episcoporum quæsitum fuit, an eiusmodi Religiosis, qui à suo generali separati sunt, jurisdictio dari possit? addita ratione dubitandi, quodsi semel à generali suo separantes Religiosi censuris subijciuntur, irregulares fiant.

Respondit sua Sanctitas

"In casu præsenti jurisdictionem dari posse.

N. 600. XI // Quæsitum fuit, an et quomodo dispositiones Regiæ circa Bullam Cœnæ publicari per Episcopos possint?

Respondit sua Sanctitas

"Posse, eo magis quo certius est, annuam eiusdem
"in die Cœnæ Domini alias fieri solitam publi-
"cationem ab aliquot annis Romæ etiam inter-
"miti, et alioquin de his, quæ in Bulla Cœnæ
"continentur, alibi provisum habetur.

XII // Quoniam Religiosi exemptionibus gaudentes per suam Majestatem Jurisdictioni Episcoporum immediatè subijciuntur, quid et quomodo eatenus agendum sit, instrui petimus.

Respondit sua Sanctitas

"Id Episcoporum prudentiæ et discretioni re-
"linqui.

Quæsitum fuit, quid circa publicationem dispositionum Cæsareo-Regiarum intuitu Bullæ unigenitus agendum sit. = XIII

" Quoad Bullam unigenitus declaravit sua
" Sanctitas oportere tradi Bullam unigenitus in
" scholis et quidem non historicè sed dogmaticè,
" qualis enim Theologus, qui Bullam unigenitus
" nescit? nec tamen necesse est, ut de hoc fiant
" disputationes publicæ, deinde fieri posse, ut
" mandatum Cæsareum publicetur cum declaratione
" voluntatem Regiam tendere ad impediendas
" omnes controversias.

Quibus modalitate præmisso terminat.

Die 22. Mensis et anni ut supra considentibus denuò in unum præfatis Archi- et Episcopis accedentibus quoqꝫ Episcopo quinqꝫ Ecclesiensi et archi-abbate montis Pannoniæ oborta porrò et mota prævia quæstione videlicet

Num petentes Episcopi concessis in prædeductis punctis facultatibus citra ulteriorem formandum recursum Romam liberè uti possint. = XIV

Retulit sua Eminentia suam Sanctitatem in collegio pridem secum habito declarasse, se velle, ut ubi intellexerint suam Sanctitatem Romam jam advenisse, scripto pro petitis facultatibus

986

ad se recurrant. interim verò concessit facultatibus in casu necessitatis Episcopos uti posse.

XV // Facta denique suæ Sanctitati propositione, num petitæ et concessæ præsentibus facultates absentibus etiam Episcopis concessæ intelligantur.

Respondit sua Sanctitas

// absentibus Episcopis se non nisi post recursum
// ad se factum facultates has concessurum.

Lectum et Extradatum Viennæ 23. april. 1782.